

De tingendo amethystino, & cocco, & hysgino. CAP. XLII.

**N**on est satis abstulisse gemmæ nomen amethystum, rursum absolutus inebriatur tyrio, ut sit ex utroq; nomen improbum, simulq; luxuria duplex: & cū consecere conchyliis, transire melius in tyriū putant. Pœnitentia hoc primū debet inuenisse, artifice mutāte quod damnabat: inde ratione nata, uotum quoq; factū ē vitio portētosis ingenijs, et gemina demōstrata via luxuriæ, ut color alius opiretur alio, suauior ita fieri leniorq; dictus. Quin & terrena miscere, coccoq; tinctum tyrio tingere ut fieret hysginū. Coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terrestribus, aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est. Verum ut simul peragātur nobilia pigmenta, anniculo grano languidus succus, idē à quadrimo euanius. Ita nec recenti vires, neq; senescenti. Abunde tractata est ratio, qua se virorum iuxta feminarumq; forma credit amplissimam fieri.

De pinna, & pinnotere, & aquatiliū sensu. CAP. XLIII.

**C**oncharum generis & pinna est. Nascitur in limosis subrepta semper, nec vnquā sine comite, quæ pinnoterē vocant, alij pinnophylacē. is est squilla parua, alibi cancer dapis affectator. Pandit se pinna, luminibus orbū corpus intus minutis piscibus prebēs. Assultant illi protinus, & ubi licētia audacia creuit, implent eā. Hoc tēpus speculatus index, morsu leui significat. Illa ore cōpresso quicquid iclusit examat, partēq; socio tribuit. Quo magis miror, quosdā existimasse, aquatilibus nullū esse sensum. Nonit torpedo vim suam ipsa nō torpens: mersaq; in limo se occultat, pisciū qui securi supernatātes obtorpuere corripēs. Huius iecori teneritas nulla præfertur. Nec minor solertia ranæ, quæ in mari piscatrix vocatur: eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantes pisciculos attrahēs, donec tam prope accedāt, ut assiliat. Simili modo squatina & rhombus abditi pinnas exertas mouēt specie vermiculorū: itemq; quæ vocatur raia. Nā pastinaca latrociniatur ex occulto, transeuntes radio (quod telū est ei) figens. Argumēta solertiæ huius, q̄ tardissimi piscium hi, mugilem velocissimum omnium habentes in ventre reperiuntur.

De scolopēdris, vulpibus & glanis. CAP. XLIII.

**S**colopēdra terrestribus similes, quas centipedes vocāt, hamo deuorato oīa interanea euomūt, donec hamū egerāt, deinde resorbēt. At vulpes marina, simili in periculo glutitū amplius vsq; ad firmam lineam, quæ facile prodāt. Cautius qui glanis vocatur, auersos mordet hamos, nec deuorat, sed esca spoliat.

De ariete pisce. CAP. XLIIII.

**G**raffatur aries ut latro. Et nunc grandium nauium in salo stantiū occultatus umbra, si quem nandi voluptas inuitet expectat: nunc elato extra aquam capite, piscantium cymbas speculatur, occultusq; adnatans mergit.

De his quæ tertiam naturam habent, non animalium, neq; fruticum, & de vrticis & spongijs. CAP. XLV.

**E**quidem & his inesse sensum arbitror, quæ nec animalium, neq; fruticum, sed tertiam ex utroq; naturā habent, vrticis dico & spongijs. Vrtice noctu vagātur, noctuq; mutatur: carnosæ frondis his natura, & carne vescuntur. Vis pruritu mordax, eademq; quæ terrestris vrtice. Contrahit ergo se quam maxime rigens, ac prænatante pisciculo frondem suā spargit, complectensq; deuorat. Alias marcenti similis, et iactari se passa fluctu algæ vices, cōtactos pisces, attrituq; petra scalpentes pruritu inuadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirat, dum admoueri sibi manum sentit, colorē mutat & contrahitur. Tacta vreditē mittit, paulumq; si fuit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur, excremēta per summa tenui fistula reddi. Spongiarum tria genera accipimus, spissum ac prædurū & asperum, tragos id vocatur: minus spissum & mollius manon: tenue densumq; ex quo penicilli, Achilleum. Nascuntur omnes in petris, aluntur conchis, pisce, limo. Intellectum inesse ijs apparet, quia ubi auulsores sensere, contracta multo difficilius abstrahuntur. Hoc idem fluctu pulsante faciunt. Viuere esca, manifesto cōcha minuta in his repertæ ostendunt. Circa Toronen pesci illis auulsas etiam aiunt, & ex relictis radicibus recrescere. In petris cruoris quoq; inhaeret color, Africis præcipue quæ generatur in Syrtibus. Maxima sunt manæ, sed mollissima circa Lyciā. In profundo autē nec ventoso molliores in Hellepōto asperæ, & desæ circa Maleā. Putrescūt in apricis locis, ideo optima in gurgitibus. Viuentibus idē qui madentibus nigricās color. Adhaerent nec parte nec tota: intersunt enim fistula quædam inanes, quaternæ fere aut quinæ, per quas pasci existimantur. Sunt & aliæ, sed superne cōcretæ. Et subesse mēbrana quædam radicibus earū intelligitur. Viuere constat longo tempore. Pessimum omnium genus est earum quæ aphysiæ vocantur, quia elui non possunt, in quibus magna sunt fistula, & reliqua densitas spissa.

De caniculis marinis. CAP. XLVI.

**C**anicularū maxime multitudine circa eas vrinantes graui periculo infestantur. Ipsi ferūt et nubē quandam crassescere super capita, planorum pisciū similem, prementē eos, arcentemq; a reciprocardo, & ob id stylos præacutos lineis annexos habere sese: quia nisi perfossa ita nō recedāt, caliginis et pauoris, ut arbitror, opere. Nubē enim & nebulam (cuius nomine id malum appellant) inter animalia haud vllam cōperit quisquā. At cum caniculis atrox dimicatio. Inguina & calces omnemq; candorem corporum appetunt. Salus vna in aduersas eundi, vltroq; terrendi. pauet enim hominem æque ac terret. Et fors aqua in gurgite. ut ad summa aquæ ventum est, ibi periculum anceps, adempta ratione cōtra eundi dum conetur emergere, & salus omnis in socijs, finem illi religatum